



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

XIII. V. sola peccata confessa, an verò etiam reliqua omnia, quamuis non peccata in Confessione audita, tacenda sint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

## Caput VII. De Secreto seu Sigillo

homo propter graues causas aliquas excusatur: Nemo enim tenetur cum periculo vitæ suæ confiteri, vel Eucharistiam sumere, imò nec Baptismum.

Verùm distinguere hîc & scire oportet, quòd præcepta affirmatiua, licet nonnunquã ad cauendum huiusmodi pericula præterire, quia non obligant pro semper; negatiua verò, quia pro semper & sine intermissione obligant, nullo casu transgredi licet.

Est præceptum: Non occides; nullam ergo ob causam autoritate priuata licet hominem sponte occidere, nisi dum se quispiã coactus defendit. Est etiã præceptum ne vlla Sacramento irrogetur iniuria; nulla ergo de causã fas est sacrosanctam Eucharistiam aut conspuere, aut pedibus proculcare.

Pari modo in sigillo Confessionis est præceptum negatiuum, ne reueletur tanquam res sacra, quocirca nulla de causã illud vquam fas est reuelare.

*Questio Solane peccata confessa, an verò etiam  
XIII. reliqua omnia, quamuis non peccata  
in Confessione audita, ta-  
cenda sunt?*

*Respõsio.* ILLA omnia necessariò celanda sunt, per quorum detectionem redderetur onerosã, seu odiosa ipsa Confessio; & quia ex reuelatione peccatorum & circumstantiarum, &  
com-

complicū redderetur odiosa Confessio; ideo omnia illa cadunt sub sigillo Confessionis.

Quamuis enim directè sola ipsamet peccata sint sigillo Secreti occultanda, nihilominus indirectè res aliæ, quæ non sunt peccata, ex quarum manifestatione posset venire in notitiam peccati, aut peccatoris, cadunt etiam sub sigillo eodem. Vt si quis, dum homicidium confitetur, narrat quemadmodum Faber gladium rei inscius ei vèdiderit; vel si narrat quemadmodum amicus crimen ei diffuaserit: Illa enim licet in illis personis non sint peccata: Possent tamen, si detegerentur, vestigium aperire explorandi peccatum vel personam.

Eodem modo si Confessarius diceret, Petrus fuit tali hora in tali loco, posset enim tunc Petrus in suspicionem venire homicidij, quod illic fuerat perpetratum.

Reliqua verò quæ ad peccata nihil pertinent, non comprehenduntur sub sigillo.

Quamuis neque de re vlla per Confessionem audita, debeat Sacerdos, vnquam vel mutire; præsertim dum circumstantes possent intelligere, in Confessione fuisse audita; quoniam statim pertimescunt, non esse tam sanctè recondita quæ illic dicuntur.

Debet ergo iudicium illud esse velut sacrarium quoddam, ab humana conuersatione longè semotum.

M 6

Cadunt-